



NUMMUS ICONICUS CUM CASTRENSI  
**ANTONII I. ELECTI REGIS LU-**  
 sitaniæ: susceptâ in felici contra Philippum Hispa-  
 niarum & Lusitaniæ Regem expeditione,  
 cusi Anno Christi 1582.



**A**NTONIUS, quem in Galliam profugum supra diximus, cum Insulas Azoras, quæ Gubernatoris beneficio in eius adhuc fide permanerant, defendere se posse speraret, Catharinam Franciæ, & Elisaberham Angliæ Reginas eò deduxerat, ut paribus tum opibus, tum viribus classem armarent: cui hæc quidem Franciscum Dracum: illa Philippum Strotzum præfecerat. Solvens ultimo Junij secundo vento ad S. Michaelis insulam appulit: quæ se extemplo in Anto-

nij fidem dedit, Hispanis munitiora loca occupantibus. Sed neque Marchio S. crucis Regiæ classis Archithalassus de fide suâ ac vigilantia aliquid remisit. Fortuna belli tentanda prælio videbatur: quod conatu acerrimo commissum fuit septimo Cal. Augusti. Utrunque enim naves conjunctæ tantâ militum alacritate invicem proruerunt, ac si pro terrarum orbis Imperio decertandum fuisset. Stabant, qui tormenta intenderent: latè carinas finderent: ferreamque testudinem terebrarent: quas obiectæ iterum rates tuebantur. Marchio cum delectis inter primos aderat: Antoniani, adverso vento impulsî, vix cursum regere poterant, vacillantesque, & ne demerge-

rentur